

I 2 W

1 6 0 5



✓ 00/19.

ms. Nr. 296.

Gesner, Jul. (3te disputations)

—(46) Hoe, M.

K. IV. 31.

Rupertus Niesing accepit  
Jacobo Tappia.

comptur 1.13.7





69.  
30



DISPUTATIO XII.  
**PRO SECUNDA**  
PARTE EXAMINIS CON-  
CILII TRIDENTINI REVEREN-  
DI ET EXCELLENTISS. VIRI DN. D.  
MARTINI CHEMNITII.

Continens quintuplicium argumentorum pro sta-  
bilienda communionem sub una specie adducto-  
rum, solidam refutationem.

Quorum

- I. *A consuetudine & iudicio Ecclesie, depromitur.*
- II. *Ex 6. Capite Iohannis.*
- III. *Ab auctoritate & potestate Ecclesie.*
- IV. *Ab exemplis veteris Ecclesie.*
- V. *A corporis cum sanguine Christi, concomitantia.*

Quam S. S. Ductore  
PRÆSIDE

**SALOMONE GESNERO,**  
SS. THEOLOGIE DOCTORE ET PROFES-  
SORE in Academia Witebergenſi publico, ad  
diem 21. Septemb. in Templo Arcis Electoralis  
defendendam suscipiet.

**IACOBVS MOCKIVS**  
*Sempronienſis Germano-Pannonius.*

WITEBERGÆ, Typis Meisnerianis Anno 1603.







ILLVSTRI GENERO-  
SO, ET MAGNIFICO D. D.  
FRANCISCO NADASDIO, PERPETVO  
terrae Fogaras & Comitatum castri Ferrei & Sempronien-  
sis, COMITI, Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis  
Consiliario, repurgatae Apostolicae doctrinae assertori  
Constantissimo, heroiq; fortissimo, studiorum meorum  
FAUTORI & PROMOTORI munificentissi-  
mo, Domino suo aeternum obser-  
vando & colendo.

ITEM.

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS  
ET SPECTATISSIMIS VIRIS D. D. COS.  
IUDICI, ceterisque inclyta Regiaque *ἑλευθεροπόλιος* Sempro-  
niensis, SENATORIBUS, prudentissimis Patria mea Pa-  
tribus & Gubernatoribus, Dominis mihi aeterno amo-  
ris & obsequentia cultu suspiciendis.

Hosce studiorum Theologicorum enixos fructus  
ad declarandam suam gratitudinem & obser-  
vantiam inscribit & offert.

JACOBVS MOCK Sempronius.





## THESIS I.



*Ea jam apud Pontificios Antagonistas nostros longâ observatione consuetudo invaluit, ut cum decretorum & impiarum suarum traditionum causas reddere deberent, nihil amplius responsionis loco obtendant, quam contorta & miris ambagibus attracta quedam scriptura testimonia, ac insuper Ecclesiam.*

### II.

*Hunc morem & Concilium Tridentinum, cuius argumenta pro stabilienda communione sub nova specie in medium adducta, hac vice favente Domino refutanda sumemus, observasse; satis ex decretis in V. Sess. editis, liquet.*

### III.

*Quam fraudulenter itaq; Synodus Tridentina S.S. jactitavit, hac nostrâ presenti diaconi palam faciemus, ad oculum ostensuri Patronos huius conventiculi non veritatis instinctu, sed spiritus vertiginis impulsu speciem vini in sacra cana, laicis & non conficientibus Clericis, surripuisse.*

### IV.

*Quo verò commodius hoc prestare possimus argumenta omnia pro stabilienda mutilatione Papistica in Tridentina congregatione prodita, sicut ea Reverendus Dn. D. Chemnitius, cuius & in superioribus *συντάξι* filium secuti sumus, disposuit, in quinque capita partiemur, & trutinæ verbi cælestis apponentes, vi Spiritus & verbi divini dispellemus.*

## CAPVT PRIMVM.

**CONTINENS PRIMI PAPISTARVM  
à consuetudine & iudicio Ecclesie desumpti argu-  
menti, refutationem.**

### V.

*Antequam primum Conciliabuli argumentum ascribamus,*

*A 2*

*mus,*



mus, notandum initio venit, Praefectos Synodi Tridentina non eo animo fuisse, ut ad roborandam mutilationis suae causam, omnes rationes, quae huius congregationis tempore quam plurima à Pontificijs Scriptoribus corrasa extabant, proferrent, sed delectu quasi habito, praeteritis infirmis & ineptis rationibus, tantum potiores seligere & in scenam producere voluerint.

## VI.

Ex quibus primam acie hanc collocarunt. Sancta Synodus à S. S. qui est Spiritus sapientiae edocta & Ecclesiae iudicium & consuetudinem secuta, declarat. Etsi Christus in ultima Cæna hoc venerabile sacramentum in panis & vini speciebus instituit, Apostolisq; tradidit, laici tamen & non conficientes Clerici non obligantur ad sumptionem utriusq; ; Alterius igitur speciei communio illis ad salutem sufficit.

## VII.

Hoc primum argumentum, cuius conclusio τὸ κενὸν μένον continet, si conciliabuli Patres inconcussam retinere voluissent, opus fuisset, ut id aliquo medio termino, qui esset ἄκτιον, ostendens cur positis & concessis praemissis conclusio legitima inferretur, stabiliuissent; Hoc verò quia neglexerunt, & simplici autoritate (quae ne in rebus naturalibus nedum in Theologia aliquam fidem meretur) concluderunt, qui vis facile deprehendit, eos ordinem decernendi in rebus divinis immutantes, non secus ad reddendas assertionis suae rationes idoneos fuisse, ac olim discipuli illi Pythagorici, protritum illud αὐτὸς ἐπέειπε accincentes.

## VIII.

Sic nimirum & quidem in re tam seria concernente gloriam unigeniti filij Dei ratiocinati sunt Synodi Tutores; Cum enim anxie conscientie in Papatu clarissimis institutionis Christi verbis mota, causam mutilationis Papisticae exquirerent, Patres praetoria autoritate adulterata Ecclesiae iudicium praetenderunt non obstante (sic enim Constantiense Concilium loqui-



loquitur) quod Salvator sub utraq. specie sacram synaxin ad-  
ministravit. Quo impio & in filium Dei, unicum huius sanctif-  
simi epuli autorem, blasphemo decreto haud obscure artificium  
illud satanae Gen. 3, imitari sunt; Licet Deus praeceperit ut ab-  
stineretis ab esu fructuum arboris scientia boni & mali, tamen  
potestis comedere.

v. 3. & 4.

IX.

Hocine verò est S. Sancti inspiratione, sicut Conciliabu-  
lum in frontispicio huius argumenti jactitat, veraciter conclu-  
dere & decernere? Certè si à veritatis illo quem obtendunt  
Spiritu hac de communione sub una specie, sanctio promanasset,  
utiq. cum institutionis Christi verbis congrueret; Hoc au-  
tem ne minimo quidem demonstrari potest; Addita  
quippe sunt in institutione utriq. speciei jubare solis clariora,  
disponentia, praescribentia, mandantia praecipientia, cunctosq.  
fideles probare se valentes obligantia verba, qualia sunt, Ac-  
cipite, Comedite, Hoc facite, item similiter omnes, Bibite, Hoc  
facite; Hisce tam illustribus S. S. verbis, cum decretum Pa-  
trum repugnet, infallibile τὸν μόνον est, id non veritatis, sed  
falsitatis spiritum autorem habuisse.

Matth. 26.  
v. 26, 27.  
Luc. 22.  
v. 19, 20.  
1. Cor. 11.  
v. 24, 25.  
& 28.

X.

Nos igitur rejecto & altero sabuloso, ἐπισυδίο, quod synodi-  
ci Patroni à iudicio non orthodoxa sed adulterata Romana Ec-  
clesiae depromentes, mutilationis suae causae substraverunt,  
multò firmiter & adversus omnes inferorum portas immotè  
persistens fundamentum in locum reponimus, quod est ipsissi-  
ma Christi veritas, quae dicitur nobis non unam, sed utramq.  
speciem dispensandam & sumendam esse; Servatorem itaq.  
qui fallere nos non potest, & quem Pater de caelo audien-  
dum praecepit potius, quam fallacia concilia, audiamus.

Ioh. 14. v. 6,  
Matth. 17.  
v. 5.

XI.

Ejusdem planè farina sunt & illa rationes, quas quidam  
Pontificij, auxilium Synodo Tridentina ferentes, ex institu-  
tionis





tionis Christi verbis vitiosè depromunt, quæ cum haud obscu-  
rè Conciliabulum in suis decretis approbare videatur, cen-  
susque quædam in eis dispiciendum nobis erit, quo artificio successores,  
quod antea tria Concilia, Basiliense, Constantiense & Triden-  
tinum prestare non potuerunt, ex verbis institutionis cœna  
mutilationem suam probent, quomodo ve pravis suis glossis ver-  
ba cœna obsuscant & depravent.

## XII.

Trium autem precipuorum Pontificiorum, qui præ alijs  
magno conatu hunc lusum exercent, contorsiones adhibita lu-  
cerna verbi breviter dispiciemus. In quorum censu primus est  
Pighius, is hoc artificio verba Servatoris, præterita Matthæi  
& Marci, & solum Pauli & Luca Apostolorum narratione si-  
ve descriptione retenta contorquet & ludificat. Ait enim, sa-  
cerdotes non obligari ad dispensationem utriusq. speciei eo  
quod Salvator neq. Apostolis calicem præceptivè & imperati-  
vè exhibuerit, nec dixerit, Bibite ex hoc omnes; Hoc enim man-  
datum apud Lucam & Paulum non extat.

## XIII.

Hæc est, Pighij ratiocinatio, quæ manifestè falsa & bla-  
sphemia est in Spiritum sanctum qui per Matthæum & Mar-  
cum Evangelistas, disertis verbis affirmat, discipulos 12. non  
tantum panis sed & vini speciem, addito utring. præcepto, Con-  
medite Bibite, sumfisse. Nisi ille fortasse, pro insigni sua im-  
pudentia existimat, non eundem esse Spiritum sanctum, qui  
per Matthæum ac Marcum, perq. Lucam & Paulum locu-  
tus est.

## XIV.

Pighio alius verborum Christi depravator nempe An-  
dradius, αὐτόπτης testis opinionum Concilij Tridentini, succe-  
dit, qui calicem Domini ad solos sacerdotes pertinere, hoc  
artifi-



artificio probat. Tria extant mandata, inquit, in institutionis verbis, Edite, Bibite, Hoc facite, & hæc ita connexa sunt, ut ad quos pertinet mandatum Hoc facite, ad illos etiam reliqua duo pertineant. Mandatum autem Hoc facite duntaxat ad sacerdotes pertinet, Ergo & reliqua duo.

## XV.

Multis vitijs scatet hæc Andradij non dicam perversio sed depravatio verborum Christi; Initiò enim si verum esset, mandatum respiciens editionem & bibitionem respectu voluntatis & dispositionis Christi ad solos sacrificulos pertinere, quo iure igitur Pontificij laicos sub specie panis communicarēt? Hæret hic Andradius ceu mus in pice, subiungens tandem, Christum quidem in genere præcepisse, ut fideles Eucharistiã uterentur, qua autem sacramenti huius species plebi administranda sit, iudicio Ecclesiæ relictum esse, quæ tamen responsio vanissima est, quia nullo nititur sacrarum literarum testimonio.

## XVI.

Deinde manifestè falsum est præceptum (Hoc facite) tantum ad sacerdotes pertinere; Certissimum enim est ex clarissimis institutionis verbis Servatorem nostrum eo vocabulo non administrationem duntaxat sed totam actionem, qua & administrationem & sumptionem complecteretur, Apostolis totius Ecclesiæ personam sustinentibus præscribere voluisse, ut nimirum ita sacramentum cœna in futurum dispensaretur & sumeretur, sicut in primæva illa cœna factum est. Christus autem non tantum panem, sed & vinum discipulis suis dispensavit. Apostoli vicissim non tantum panem, sed & vinum consecratum sumserunt, Ergo eadem formula & hodiè imò usq; ad consumationem seculi imitanda & retinenda erit.

## XVII.

Tertius verborum Christi reformator Bellarminus est, qui principio in universali particula omnes deplorata mutilatio-





Lib. 4. de  
Euch. cap.  
25. col. 899.  
& 901.  
Et in orat.  
tomo 4.  
præfixâ.

nis causa subsidium querit, eam non ad omnes homines extendi posse ferè usq; ad ravinum in diversis suorum scriptorum locis clamitans; Aliàs enim sequeretur ait poculum consecratum exhibendum esse non tantum fidelibus sed & Turcis Morionibus, imò infantes, & Christum ipsum includeret.

## XVIII.

Ad hanc primam arrosionem dicimus, committi errorem plurium interrogationum: Neque enim inter nos disceptatur, Num particula illa universalis ad omnes indiscretim homines pertineat, hoc enim utrinque negamus; Sed de eo controversatur, cum constet, referendam illam esse ad determinatum genus hominum, qui nam sint illi homines, qui de vino benedicto bibere debeant? Respondet adversarius solos sacerdotes quod quibus rationibus probet non inutile erit audire.

## XIX.

Citato cap. Sic verò ille, Si dixerint Lutherani omnes viros illud genus esse, excludentur fœmina, si omnes fideles includentur infantes, dicent omnes fideles adultos esse, sed in primis hoc dicent gratis; includentur enim abstemiij.

## XX.

Ad hæc λεπίολογίματα respondemus cum D. Paulo illos omnes (omnibus enim fidelibus qui invocant nomen Domini ἐν παντί τόπω epistolam suam dedicavit) qui se probare possunt, in sacratissima cœna bibere debere; Ex horum numero cum omnes infantes, omnes item impij excludantur, quis esset, qui non videret ab illis nullam instantiam dari posse. Neque etiam propter unum vel alterum abstemium ordinatio divina immutari debebit, quin potius eiusmodi persona ad casum necessitatis, quos illud vulgatum dictum Crede & manducasti, attinet referenda erunt.

## XXI.

Ibidem.

Obijcit tandem Lojolanus. Repugnat Marcus qui ait, Et biberunt ex eo omnes, quare eodem modo accipitur omnes apud Mat.



Matthæum & Marcum. Apud Marcum autem tantum 12. Apostoli intelliguntur, Ergo & apud Matthæum.

## XXII.

Fallit hæc collectio erroribus ignorantia elenchi & τῶ το ὡς  
 ἡοῦ ἀπλῶς; Neque enim vocula omnes apud Marcum tam generaliter capitur, ut apud Matthæum, sed restrictione ad solos 12. Apostolos opus habet, Marcus enim loquitur de factis, Matthæus de iure & institutione. Facti erat, quod omnes tantum Apostoli à calice bibisse à Marco perhibentur, Quia alij tunc in prima cœna non aderant. Ius autem & legem describit Matthæus, quod Christus jusserit omnes quotquot sacra cœna deinceps uti vellent, ex calice bibere.

## XXIII.

Et ut impietas pro qua defendenda adversarius se tam miserè torquet, magis innotescat. Cur si solis Apostolis præbitus est calix eum Pontificij, Maioribus populi, Rectoribus insignium locorum & alijs dignitate præstantibus viris concesserunt? Cur item sacrificuli specie vini fruuntur? Dicent ius bibendi tantum ad conficientes spectare; Atqui verò neque Apostoli primævam cœnam confecerunt, qui nihilsecius tamen biberunt. Ut itaque τῶ Βίβου in adversarios hæc clumbem rationem retorqueamus, dicimus, ideo laicis & non conficientibus clericis speciem vini exhibendam esse, quia neque Apostoli primævam cœnam confecerunt.

Thomas  
 Valdenſis  
 tomo 2.  
 cap. 88. &  
 94.

## XXIV.

Testatur insuper Matthæus & Paulus Servatorem nostrum in consecratione vini duobus ἐμφατικωτάτοις vocabulis (omnes & similiter) usum fuisse, quæ cum non panis sed speciei vini annexerit, manifestè inde colligimus, eum ut omniscium Deum voculas istas propter ποτηριοκλήσεις Pontificios potissimum adijcere, eisdemq; simul tam administrantes quam communicantes ad dispensandam & sumendam utramque speciem obstringere voluisse.

B

25. Mirè





## XXV.

Allegato  
cap. col.  
900. & 903.

Mirè verò in eludendis hisce voculis Bellarm. desudat, frustra tamen; Quod enim ad particulam omnes adfert, eam nimirum in canone M. sse extare, ἀποδοῖαυτοῦ est, Item quod ad voculam ὡς ἀντὶς obvertit, illam videlicet duntaxat acceptionem calicis in manus Christi, non vero paritatem dispensationis & sumptionis, denotare, οὐδέ τις textus, qui indivulso nexu cohaeret, non admittit.

## XXVI.

Ut igitur tandem relictis inanibus haereticorum depravationibus, primo huic capiti finem imponamus, dicimus cum Gelasio Papa. Aut integra sacramenta percipienda esse, aut ab integris communicantes arcendos, eo quod divisio unius eiusdemq; mysterij sine grandi sacrilegio provenire nequeat.

## CAPUT SECUNDUM.

Refutans alterum ex 6. Iohannis capite depromptum argumentum.

## I.

Alterum in ordine argumentum tali forma à Patribus Tridentina congregationis propositum. Christus in 6. Ioh. cap: non solum de carne & sanguine coniunctim sumptis affirmat, quod qui manducaverit & biberit habiturus sit vitam aeternam, sed hunc effectum etiam soli speciei panis inquitens, Qui manducaverit ex hoc pane vivet in aeternum, attribuit. Ergo communio sub utraque specie à Domino non est tanquam necessaria praecepta, sed poterit sufficere una species.

## II.

Ad hoc secundum argumentum ut solidè respondere queamus, initio invictè ostendemus 6. caput Ioh. ne verbulo de sacramentali sacra Eucharistia, sed de sola spiritali manducatione, agere, simulq; nostras quas afferemus rationes adversus

Bellar.



Bellarmini exceptiones undiquaq; muniemus; His postmodum alias quoq; responsiones propter cavillationem ejusdem Iesuita dicentis, nos nihil aliud ad hoc secundum illorum argumentum respondere posse, quam illud non agere de caena Dominica superaddemus; Et tandem ostendemus, quo sensu orthodoxi Patres in 6. capite Ioh. de Sacramento Altaris locuti fuerint, quomodo ve idem ad canam Dominicam applicarint.

Lib. 1. de Sacram. Euch. c. 7. col. 478.

III.

Initio itaq; utrobique constat Sacramentum Eucharistias eadem nocte, qua Dominus tradebatur, institutum, concionem vero Iohannis anno integro ante & amplius a Christo habitam fuisse. 2. Manducatio cuius apud Iohannem mentio fit semper cunctis manducantibus dat vitam, ut patet ex v. 47. 51. 54. 58. Manducatio autem coena non quoslibet vivificat; Cedit enim indignè manducantibus teste Paulo ad iudicium. 3. Omnibus hominibus salvari cupientibus manducatio spiritalis est ad salutem necessaria; Sacramentalis non omnibus salvandis; Excluduntur enim infantes, & adulti in casu necessitatis constituti. 4. Nulla mentio fit in sermone Iohannis panis materialis nec vini, neq; gratiarum actionis neq; distributionis, quod tamen necessario requireretur, si de Sacramentali manducatione agere deberet. Unde consecrarium est 6. caput Ioh. non de Sacramentali manducatione agere.

1. Cor. II. v. 27.

v. 53.

IV.

Bellarminus has rationes elidere conatur. Ad primam enim ait, se quidem concedere anno ante a Christo, concionem in 6. capite Ioh. descriptam, antequam coenam Dominicam instituisset, habitam fuisse, interim tamen stare etiam illud Servatorem indidem promissionem de eadem instituenda exhibuisse. Ad secundam oggerit, non solam spiritualem, sed & sacramentalem manducationem semper efficienter etiam sine fide vivificare. Ad 3. obvertit Christum non de infantibus sed adultis extra casum necessitatis constitutis, sermonem

Ibidem col. 479. & 484.

Citato loco.

Eodem cap. col. 484.

B 2

fecisse.





fecisse. Ad 4. idem quod ad primum nostrum *Exilop* re-  
spondet.

## V.

Prima & quarta *εὐσκόπειε* conjunctim sumptæ haud opero-  
siore refutatione indigent. Cum enim de Sacramentali mandu-  
catione indidem ne verbulum, ut supra ostensum, extet, quo-  
modo igitur potuisset promitti?

## VI.

In secunda responsione similiter adversarius errat; Si enim  
Sacramentalis manducatio semper exerendo suam vim etiam  
indignè manducantes vivificaret, utiq; nemo hominum sume-  
ret eandem sibi in judicium, nec cuiquam foret odor mortis in  
mortem, quod est contra Apostolum Paulum; Concedimus qui-  
dem culpâ sumentium & non Sacramentorum (quæ respectu or-  
dinationis & voluntatis divine quovis tempore omnibus pro-  
desse deberent) evenire, quod non in singulis fructificent, quo-  
niam autem plurimi ex communicantibus infideles sunt, sine  
fide autem (quæ quidem non ad integritatem Sacramentorum,  
sed ad salutarem fructum pertinet) non pateat ad Deum adi-  
tus, nec quisquam placere possit Deo sine fide, jam ex accidente  
fit, quod sacramenta suam virtutem non in omnibus, exerunt,  
ad quam exhibendam semper fides tanquam medium & manus  
apprehensiva, requiritur.

1. Cor. 11.  
v. 29. 2.  
Cor. 2.  
v. 15.

Hebr. 11.  
v. 6.

## VII.

Tertia Jesuitæ instantia, quâ manducationem spiritua-  
lem infantibus, eo pretextu, quod fide actuali destituantur,  
adimere conatur, plusquam in Servatorem nostrum blasphem-  
ia & impia est, qui Matth. 18. v. 6. affirmat, infantes in  
ipsum credere, ille idem Servator Mar. 16. v. 6. infantibus  
regnû cælorum (quod alias infantibus nō competeret si fide de-  
stitueretur, teste Mar. 16. cap. & Ioh. 6. attribuit.) Ergo infantes  
habebunt fidē propriam, quâ verè, sicut & adulti (licet modo soli  
S. S. cognito) participes manducationis spiritualis redduntur. Nec  
potest

v. 16.  
v. 53.



potest infantibus diversa quam adultis actu primo considerata fides attribui, siquidem unica tantum est fides salvifica. Nec deniq; aliena fide infantes salvantur; Iustus enim propria & non aliena fide vivit. Habac. 2. v. 4.

Ephes. 4. v. 5.

VIII.

His strophis Iesuiticis sic expeditis ulterius ad concilij Tridentini argumentum respondemus; Posito enim agat 6. Ioh. caput de Sacramento cœna, quid inde evincent adversarij? omnino nihil; Nam non tantum de edenda carne, sed & de bibendo sanguine mandatum extat, ut nimirum omnes (generalis enim & indefinita est sententia Christi v. 53.) qui vitam aeternam habere volunt, bibant; Nisi igitur laicos vitam aeterna privare voluerint, concedent ipsis utiq; calicem Domini.

IX.

Et ut & hoc addamus, haud ignota esse potest adversarijs usitata sancta scriptura synecdochica locutio, qua interdum brevitate gratia sub alterutra specie utraq; intelligit, ut videre est 1. Cor. 11. v. 33. & 34. Ac tamen si soli manducationi carnis Christi effectus, qui est aeterna salus, adscribitur: non tamen inde sequitur, non opus esse ad eundem effectum consequendum, etiam bibitione sanguinis Christi. Quis enim hominum audet Christum in sua institutione reformare? Siquidem ipsi placuit ad eundem effectum duobus distinctis uti medijs, nostrum est reverenter acquiescere, & utroq; organo libenter uti. Confirmat tandem nostram sententiam quam plurimi etiam ex Pontificijs scriptoribus, qui unanimiter in scriptis suis docent, sextum caput Ioh. de cœna Dominica, non agere, a quibus moderni Pontificij nullis firmis adducti rationibus, nefarie dissentiunt.

Gabriel Biel Nicolaus Cusanus &c.

X.

Sed nos & his responsionibus omisis ostendemus ad extremum, quamobrem & quo sensu orthodoxi Patres in concionis Iohannis explicatione de sacra cœna locuti fuerint; Quod non ideo factum est, (quemadmodum quidem Bel-

B 3

lar.





Lib. 1. Euch  
cap. 5. col.  
475

larmin. opinatur) ut ostenderent in sermone Iohannis Eucharistiam promissam vel institutam esse, vel quod exinde declarandum, quae materia quaeve forma sit sacramenti caena, sed quia ad salutarem sacri epuli usum non sufficit sacramentalis manducatio, nisi spiritalis accedat, qualis vero illa sit cap. 6. Ioh. docet.

XI.

Deinde ideo orthodoxa antiquitas caput 6. Ioh. ad caenam Dominicam accommodavit, quia eiusdem cibi fit utroque mentio, non vero eiusdem manducationis. Et tandem quia contra dogma Nestorij evicit ex concione Iohannis, carnem Christi esse verè vivificam, ideoque in benedictionibus mysticis posse credentes inde vivificari.

XII.

Hoc modo veteres de sermone Iohannis locuti sunt, nec unquam contrarium ostendi poterit; Nos conclusionis loco solo Augustino nostram assertionem confirmabimus, Is tract. 26. in Ioh. aperte scribit manducare panem in idem idem esse quod credere. Et tract. 25. ait Crede & manducasti.

CAPUT TERTIUM.

De autoritate & potestate Ecclesiae.

I.

Restant adhuc tria, Synodi Tridentinae argumenta, quae etiam breviter postquam difficiliora duo expediimus, persequemur; Tertium itaque argumentum quod attinet de promunt illud Patroni conciliabuli ab autoritate & potestate Ecclesiae, quam aiunt capite secundo semper hanc potestatem habuisse, ut in sacramentorum dispensatione salvâ manente eorum substantia ea statueret & mutaret, quae pro temporum & locorum varietate suscipientium utilitati magis expedire iudicaret. Quam suam assertionem duobus scripturae testimonijs confirmant, quorum prius 1. Cor. 4. v. 1. extat. Sic nos esti-

mea



met homo, ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei. Posterius verò 1. Cor. 11. habetur, ubi Paulus inquit cetera cum venero, disponam. v. 34

II.

Et sanè si hoc verum esset Christum Ecclesie sue quam sibi semper subditam esse voluit, non tantum in adiaphoris, sed & in substantialibus sacramentorum potestatem mutandi quidvis prohibito dedisse, haberent quod adversarij tam operose querunt; Hanc libertatem verè abrogandi partes sacramentorum essentiales (qualis est & vinum) Salvatore Ecclesie sue permississe ne unica jota in sacris literis ostendi potest, quia potius contrarium ex duplici Servatoris mandato singulis Eucharistia speciebus addito, Manducate, Hoc facite, Bibite, Hoc facite, vincitur quo Ecclesiam suam usq. dum redeat ad iudicium alligatam esse voluit. Eph. 5. 24

III.

Canonistæ quidem proprio arbitrio varias sententias confixerunt, quibus potestatem Papæ mirum in modum exaggerant, dicendo Papam dispensare posse contra verba Evangelij licet non contra mentem, & contra 4. prima concilia. Verum cum hac dictoria nihil nisi meram impietatem sapiant, illis relictis ad expendenda dicta ex sacra scriptura allata, accedimus.

IV.

Ad primum igitur dictum ex 1. Paulina Epistola ad Cor. cap. 4. desumptum respondemus committere Conciliabulum errores διωξέσθω, & à dicto secundum quid ad dictum simpliciter; Non enim loquitur eo capite Apostolus de mutilatione sacramentorum, sed per μυστήριον totum ministerium intelligit, cuius sese fidelem œconomum & ministrum administrandi verbum & sacramenta iuxta ordinationem divinam nominat, non verò pratoriam auctoritatem abrogandi quidvis pro imperio ijs verbis Apostolus sibi & alijs mysteriorum divinatorum οἰκονόμοις arrogat; Sic enim prout idem in sequenti versu





versu monet, non fideles, sed infideles & ordinationis divina depravatores reperirentur.

## V.

Nec juvat adversarios quod restrictionis gratia adiecerunt (salvâ manente sacramentorum substantiâ Ecclesiam mutandi potestatem habere.) Nam quomodo Cœna Dominica integrè dispensatur, siquidem demitur pars eius συσαιτικῆ, quæ necessariò ad sacramenti integritatem concurrere debet? Longobardus certe affirmat substantialia sacramenti esse materiam & formam seu elementum & verbum. Christus autem pro elemento non tantû panem sed & vinû, ut ceu ὀχήματα rei cœlestis essent (ut eleganter veteres quidam θεολογῶσι) ordinavit, Igitur nequaquam salvum permanebit sacramentum Altaris si adimatur pars eius constituens & οὐσιώδης vinum nimirum.

## VI.

Obstrepit hic Bellarm. negans panem & vinum esse partes essentielles, sed tantum συνολῶς partes esse affirmat. Sed hoc falsum esse luculenter demonstrari potest, hoc pacto. Nullum sacramentum constare potest partibus integralibus; Illa enim sine toto finiri & cognosci nequeunt, Totum verò sine istis finiri & cognosci potest. Elementa autem & res spirituales sacramentorum signa & signata sacramentalia materia & forma eorundem sic se habent, ut sine istis totum neque cognosci, neque finiri possit. Ergo integrales partes esse nequaquam poterunt.

Lib. 4. de  
sacr. Euch.  
cap. 22. col.  
874. & cap.  
27. col. 8.  
817.

## VII.

Ad alterum Pauli dictum dicimus committi errorem πρὸ τῆρ ἀγνοιαρ ἐλέγχῃ; Nam non agit citato loco D. Paulus de partibus essentialibus cœnæ Dominica, sed postquam easdem iam in præmissis pertractaverat & ordinaverat, tandem subiicit τὰ λοιπὰ scilicet (ut hoc B. Apostolus 1. Cor. 14. v. 36. & 40. explicat) quæ ad εἰκοδομηρ, τὰξιν ἢ ἐνοχημοσύνην pertinent, disponam; Ex quibus perspicuum est, Apostolum sequestratione illa



617.  
illa partium essentialium premissa duntaxat de adiaphoris locutum  
esse.

VIII.

Neg. vero excipere hic adversarij poterunt, calicis dispensationem rem indifferentem esse, quandoquidem semetipsos jugularent; Res adiaphora enim ut D. Paulus Gal. s. v. i. monet non sunt transformanda in precepta, sed tanquam indifferentes relinquenda; Patres autem synodici in preceptum communionem sub una specie transformerunt, & quidem anathematis bruto fulmine omnes aliter sentientes vibrarunt; Ergo dispensatio calicis res adiaphora esse nullo modo poterit.

## CAPVT QVARTVM.

### DE EXEMPLIS VETERIS ECCLESIAE.

I.

Priusquam exempla orthodoxae antiquitatis à plerisque Pontificijs (ad quorum depravationes, quartum Tridentinorum argumentum alludit; dum inquit, Ab initio Christiana religionis usum utriusque speciei non infrequentem, non tamen universalem fuisse) ad roborandam mutilationem Papisticam in medium adducta examinemus, figendus est primum genuinus controversiae status; Quando enim de veteris Ecclesiae exemplis disputatio est, non queritur quid in necessitatis & extraordinarijs casibus aliquando factum sit; Sed de eo est controversia: Num exemplum tale proferri possit ex veneranda antiquitate, eandem in legitima ordinaria & solenni celebratione & dispensatione, sacramentum Eucharistias sub una tantum specie administrasse, hoc strenue pernegantes, ne unicum proferri posse exemplum constanter asserimus.

II.

Adversa pars affirmativam sententiam tenens initio exinde contrarium ostendere conatur, quod in veterum scriptis mentionem laicae communionis reperiat; Hinc enim statim infert, ideo nominari cœnam Dominicam laicam communionem quod sub una duntaxat specie administrata sit.

¶

Sed



Liedanus.  
Tapperus.

## III.

*Sed hanc falsam interpretationem laica communionis esse, ex ipsismet Pontificijs aliqui fatentur. Manifestum enim est illis temporibus, quando Patres laica communionis recordati sunt, utramque speciem dispensatam fuisse; Et Chrysof: dicit. In participatione mysteriorum nullam esse inter sacerdotes & fidelem populum discrimen.*

## IV.

*Laica autem communio illa veteribus dicebatur, quando clerici propter commissa enormia facinora ab officio publico remoti, non ipsi Eucharistiam administrabant, sed eam tantum accipiebant, idque non inter clericos, sed promiscuum vulgus factum. Vnde constat attestantibus ipsis Pontificijs communionem laicam non de alio communionis genere, sed de gradu, ordine, & loco communionis intelligendam esse.*

## V.

*Alterum Pontificiorum in depravandis veterum scriptis consistens artificium simile est priori, quod ex vocabulo Eucharistias mutuatur, cuius frequens apud Patres mentio fit; Illud enim quando in illorum libris inveniunt, statim sibi imaginantur, de una accipiendum esse specie.*

## VI.

*Sed & hanc erroneam vocabuli Eucharistias explicationem esse, ex Irenaeo comprobabimus, qui libro 5. utrasque panis & vini species sub hoc vocabulum revocans, inquit. Quando mixtus calix & fractus panis percipit verbum Dei fit Eucharistia corporis & sanguinis Christi.*

## VII.

*Tandem magno applausu exempla domestica communionis in scenam proferunt, quando scilicet acceptam in Ecclesia Eucharistiam, domum secum deportarunt, ut hoc ex Tertull: & Hieronymo patet. Vnde colligunt adversarij hoc non aliter intelligi posse, quam populum unam tantum speciem sumsisse.*

## VIII.

*Sed dicimus falso hoc asseri (attestante etiam Ruaro Tappero scriptore Pontificio) Constat enim tum temporis, quando hac pessima contra Christi institutionem consuetudo invaluerat, prius populo*



pulo in Ecclesia vinum distributum, & ita, demum etiam hostiam in manus communicantium exhibitam fuisse, quam ut vel statim manducarent, vel secum deportantes domi interjecta aliqua inter panis & vini sumptionem, morula ederent.

I X.

Ex quibus jam satis liquet Romanenses neq; veterum exemplis (qua non secus ac dicta sancta scriptura depravant) suum commentum de communione sub una palliare posse: Et ut magis innotescat, quam falso de dogmatis huius vetustate glorientur Tridentini Patres eiusq; successores, placet brevem historicam observationem, complectentem sextuplicem mutationem, caena commemorare, ut quo tempore, & sub quo prae-textu communio sub una specie in Ecclesiam invec-ta fuerit liquido contra crassum errorem Bellarmini inepte omnem historicam veritatem adulterantis & contendentis controversiam de utraq; specie demum Prage exortam, eandemq; primum a Petro Dresdensi oppugnatam fuisse, constare possit.

Lib. 4. de Euch. cap. 20. col. 864 & cap. 28. col. 918.

X.

Primum autem quaedam sacratissimi epuli mutatio sub utraq; specie ab illis tentabatur, qui in Ecclesia vinum bibentes, panem consecratum domum secum detulerunt, quemadmodum Basil. de Eremitis scribit. Hic vero mos ut pote Christi institutioni dissentaneus, circa annum Domini 390. in Toletano primo & circa annum 500. in Casaraugustano, concilijs abrogatus, & caena Domini ad pristinam formam institutionis Christi, reducta fuit.

X I.

Altera mutatio tempore Leonis circa annum Christi 440. a Manichaeis suscipiebatur, qui quia vinum tanquam abominabile quid detestabantur, Christumq; phantastico corpore praeditum fuisse somniabant, tentarunt unam speciem introducere. Sed his Leo Pontifex sermo: Quadrag: 4. sese opponens sacrilegium vocat, si quis calicem sanguinis redemptionis nostrae, haurire declinet.

X I I.

Tertiam mutationem circa annum Domini 490. tempore Gelasij  
C 2 Papa,





Papa, quidam homines superstitiosi (sic enim Gelasius loquitur) sub  
 prætenu religionis cultus diuini & reuerentiæ, erga sacramentū,  
 introducere in Ecclesiam conati sunt. Sed huic superstitioni (qua  
 juxta Scholasticos nihil aliud est, quam velle Deum aliter quam ipse  
 præscripsit & mandauit, colere) acriter Ecclesia restitit, ut testatur  
 canon comperimus de consecrat. dist. 2.

## XIII.

Quartò ob metum periculi effusionis quidam maturè discesio-  
 nem à forma institutionis parabant, ne tamen omninò communio-  
 nem sub utraq; specie tollerent, consecratum panem in poculum in-  
 tinctum communicantibus complementi loco distribuuerunt. His ve-  
 rò hominibus Iulius Pontifex circa annum Domini 340. in Episto-  
 la ad Episcopos Ægypti sese opposuit, consuetudinem istam pravam  
 his verbis reprehendens; Esse contra diuinum ordinem, contra A-  
 postolicas institutiones, item esse contrarium Evangelicæ & Apo-  
 stolicæ doctrinæ, & consuetudini Ecclesiasticæ aduersum.

## XIV.

Quintò cum sanctæ doctrinæ subindè major depravatio fieret,  
 circa annum Domini 920. iterum Cluniacensis ordo intinctionem  
 instituit, contra morem tamen cæterarum Ecclesiarum. Sic enim  
 Cassander ex institutis Cluniacensium allegat. Quantis ipsum cor-  
 pus sacerdos dederit singulis sanguini intingit, quanquam sit contra  
 usum reliquarum Ecclesiarum.

## XV.

Tandem circa annum Christi 1250. tempore Scholasticorum  
 scriptorum, postquam satis diu mutatio tentata fuerat, expressa  
 mentio invec̄te particularis consuetudinis communicandi plebem  
 sub una specie, propter metum periculi effusionis fiebat. Huic postre-  
 ma mutilationi autem, quæ adhuc hodiè in Pontificatu contra in-  
 stitutionem Christi retinetur, non minus quam cæteris sese qui-  
 dam viri religiosi, quemadmodum Alexander Halensis scribit  
 opposuerunt, & flagitarunt restitutionem communionis sub utraq;  
 specie,

CAPVT

Lib. 2.  
 cap. 35.



624  
CAPVT QVINTVM.

De corporis cum sanguine Christi, concomitantia.

I.

Superest ultimum Tridentinae synodi argumentum, quod ita comparatum esse videtur. Quod potest fieri per pauciora non debet fieri per plura, Sed totus & integer Christus verumq; sacramentum sub una specie sumitur; Ergo non est necesse ut utraq; species adhibeatur.

II.

Minorem propositionem quae  $\alpha\gamma\omega\mu\omega\pi$  continet Bellarm. ex 1. Ioh. Lib. 4. Epist. cap. 4. v. 3. ita probat. Omnis spiritus qui solvit Iesum ex Deo Euch. cap. non est, & hic est antichristus; Solvunt autem Iesum qui negant concomitantiam. Idem ex tribus principijs fidei ostendere conatur, quorum primum est, Corpus Domini realiter esse in Eucharistia, Alterum Christum vivere, Tertium Salvatorem esse unam personam in duabus naturis subsistentem; Ergo ubicunq; corpus Christi est, ibi est etiam sanguis. 21. col. 868. & 869.

III.

Respondemus ad hoc postremum argumentum committere Paterculos  $\mu\epsilon\tau\acute{\alpha}\beta\alpha\sigma\iota\pi\acute{\epsilon}\iota\varsigma\ \alpha\lambda\lambda\omicron\ \gamma\acute{\epsilon}\nu\theta\epsilon$  Valet enim hoc axioma Logicum, quod vicem majoris propositionis sustinet in rebus naturalibus, quae sensui & rationi nostrae subiectae sunt, non vero in mysterijs fidei, quae longe aciem humani ingenij excedunt, & quae  $\delta\lambda\iota\kappa\omega\varsigma$  secundum dispositionem & ordinationem divinam dispensanda veniunt. 2. Cor. 10. v. 5.

IV.

Christus certè, cuius voluntas firma & immota permanet, annexis undiquaq; praeceptis, ut sacramentum Altaris sub duabus distinctis speciebus usq; dum redeat ad iudicium, dispensaretur & sumeretur, instituit. Ab hac igitur ordinatione divina si vel latum unguem discesserimus, inobediētes discipuli Christi erimus, nec custodiemus, iuxta gravissimam admonitionem Paulinam sanctissimum Servatoris depositum. Iam verò ut elegantissimè Vincentius contra haereses explicat, Quod tibi creditum est, retine, non quod à te inventum, quod accepisti, non quod excogitasti. 1. Cor. 2. 14.

C 3

6. Imò





## V.

Imò neq; antiquitati ignotum fuit, corpus Christi non esse exanguis, non tamen ideo unam sufficere posse speciem in sacramento cœna arbitrata est; Sic enim Innocentius III, Papa, citante sententiã illius Durando, dicit, licet sub pane non sit corpus sine sanguine, nec sub vino sanguis separatus à corpore, nō tamē sub pane sanguis Christi bibitur, nec in vino Christi corpus editur.

## VI.

Adde quod probationes Bellarmini valde infirmae sunt; Primū enim committit Lojolanus errorem plurium interrogationum; Non enim inter nos disceptatur, num corpus Christi semper presentem secum habeat sanguinem, Sed num propterea sacramentaliter una cum pane sanguis Christi exhibeatur, quod negamus, & hoc adversario probandum fuisset.

## VII.

Deinde committit adversarius errorem secundum non causam ut causam; Si enim propterea Christus totus sumitur quia totus est in symbolo panis, colligeremus inde sacramentum cœna à quovis pio accipi posse, quia in quibusvis pijs præsens est Christus, imò sequeretur si quicquid præsens est statim edatur etiam animam Christi & divinitatem oraliter edi. Colligeremus præterea sacramentum excommunicatis non esse necessarium, imò prorsus è medio tollendum esse, quia Christus est in baptismo, Et tandem neque sacrificulos bibere oportere, quia sanguinem sub pane sumunt.

## VIII.

Quæ cum ita se habeant, quod nimirum dispensatio totius sacramenti cœna soli divinae ordinationi & voluntati, quæ ex alio quam natura fundamento agit, ascribenda sit, & motus inessendi sacramentalis sit diversus à naturali inessendi modo, invictè colligimus cum D. Paulo, panem non esse communicationem sanguinis Christi sacramentalem sed vinum, neq; calicem communicationem corporis Christi, sed panem. Et quicquid non est in sacramento cœna promissum illud etiam sacramentaliter nō sumitur. Sub specie panis autem non est promissus sanguis, Ergo sacramentaliter sub panis specie sanguis non bibitur.

lam.



X.

Iam ἐπιστάματ & loco secuti ductum Chemnitianum, huic p̄-  
stremo argumento aliquid de decreto Sess. vi. super petitione con-  
cessionis calicis, edito; & de dicto Doctoris Lutheri, quod odiose à  
Romanensibus, exagitur, addemus.

X.

Flagitarant autem in Concilio Tridentino Reges & Principes  
clarissimis institutionis Christi verbis moti, ut usus calicis orb̄  
Christiano, quem Pontifex Romanus iniustā prohibitione Ecclesie  
abalienaverat, restitueretur. Ad hanc verò petitionem cum sine  
detrimento regni Pontificij Patres Synodici nihil certi respondere  
possent, sugillantes oblique Reges & Principes, confirmantesq; er-  
rores in v. sess. de communione sub una specie editos, rem infectam  
ad Papam certis prescriptis conditionibus, quibus calicis usum con-  
cedi posse putabant, detulerunt.

Dux Bava-  
riæ Alber-  
tus.  
Et Ferdi-  
nandus  
Imperator  
&c.

XI.

Conditiones illas breviter contractas (qua quidem non inser-  
ta sunt editioni decretorum, seorsim tamen publicata reperiun-  
tur) huc ascribemus, habebunt enim post suum usum. Illarum  
quinque sunt. 1. est ut qui sub duabus speciebus communicare vo-  
luerint, omnes ad Pontificatum pertinentes materias cuiuscunque  
illa tandem generis fuerint, admittant & observent. 2. Ut dicta-  
rum nationum Pastores communionem sub una specie, iustificent,  
3. Papæ omnem reverentiam exhibeant. 4. Similiter Archiepisco-  
pis & Prælati obedientiam præstent. V. Ut non nisi iuxta morem  
Romanæ Ecclesie contritis usus calicis exhibeatur.

XII.

His canonibus sic præmissis facile dictum Megalandri nostr̄i  
Lutheri intelligi & defendi poterit quando nimirum scripsit. Si quo casu  
concilium propriâ autoritate id statueret, & ex plenitudine potestatis suæ  
concessurum esset communionem sub utraq; specie, se eâ non usurum; Iam  
enim ipse sonus horum verborum arguit, hoc dictum non δετικῶς sed ὑπο-  
θετικῶς, non ἀπλῶς sed κατὰ τι à Lutero prolatum esse, eo nimirum sen-  
su, se potius nulla usurum specie, antequam tot Papicolarum erroribus,  
quos





quos illi à communicantibus approbari volunt, subscribere vellet, & potius una parte Christianismi, quam omnibus spoliari. Quandoquidem privatio eucharistiae, quae ex necessitate promanat, neminem damnat, impiorum vero dogmatum approbatio omni prorsus remota dubitatione aeternum adfert exitium.

## XIII.

Quod praeterea D. Lutero ἀντιλογίαι obijcitur, quod ille contradictorias de hoc negotio opiniones proposuerit, statuendo interdum unam, interdum vero ambas laicis exhibendas esse species, dicimus fatente ipso Megalandro Lutero, & hunc suum errorem in captivitate Babyl. revocantem temporis Lutherum nostrum, haud ita pridem ex plusquam Aegyptiacis Papatus tenebris emergentem, nondum prorsus illuminato & confirmato animo fuisse; Postquam autem semel utramque speciem distribuendam esse ex sacra scriptura didicerat, deinceps usque ad extremum halitum in ea sententia perseveravit, quam etiam nos hodie tanquam verbo Dei per omnia consonam propugnamus & defendimus.

## XIV.

Atque sic tandem auxilio divino quintuplicia Tridentinae congregationis argumenta, quibus illa mutilationem coenae stabilire conata est, expedi vimus, superesset adhuc ut de decreto Sessionis V. Num videlicet parvuli ad communionem sacratissimae coenae admitti debeant, aliquid diceremus. Sed cum utrinque negativam sententiam tueamur, nihil amplius addimus, sed toti de communionem sub utraque specie tractatui, finem imponimus.

## XV.

Rogantes supplices aeternum filium Dei, ut opus quod operatus est in nobis confirmare, & pretiosum corporis & sanguinis sui communionem usque ad gloriosum ejus adventum apud nos & posteros nostros, contra multiplices satanae & organorum ejus insidias, illibatam tueri & conservare velit. Huic unico nostro Salvatore ΚΥΡΙΩ ΚΥΡΙΩ, ΚΑΙ ΒΑΣΙΛΕΙ ΒΑΣΙΛΕΩΣ sit una cum Patre & S. S. laus honor & gloria in sempiterna secula, Amen.

FINIS.



99 A 6902

ULB Halle

3

002 064 405




17470c

Retro


VD17











69.  
30



TIO XII.  
C V N D A  
MINIS CON-  
INI REVEREN-  
TISS. VIRI DN. D.  
HEMNITII.

argumentorum pro sta-  
ub una specie adducto-  
refutationem.

um  
icio Ecclesia, de promitur.

te Ecclesia.  
esia.

Christi, concomitantia.

. Ductore  
SIDE

GESNERO,  
CTORE ET PROFES-  
tebergensi publico, ad  
emplo Arcis Electoralis  
um suscipiet.

MOCKIVS  
mano-Pannonius.

deisnerianis Anno 1603.

